Plantavit Deo, fide Catholicâ, illustravit Terras Russiæ hoc pacto: Sororem suam Basilius in uxorem Vladimiro dedit, qui expetiit Baptismum et Magistros Religionis Græcæ; Ergo Patriarcha Constantinopolitanus S. Ignatius misit nobilissima subiecta, ut fidem docerent et Ritum quorum est mentio in Libro Concordiæ Orientalis Ecclesiæ apud Allatium; Tandem anno 991. (alij asserunt ipso millesimo) Dux Vladimirus una cum duodecim filijs, quos ex Concubinis susceperat, sacrum Lavacrum à Græcis Episcopis suscepit, coegitque omnes Ruthenos in flumine Borysthene pronunciata forma Sacramenti baptizari; Per multum tempus innumeræ Gentes baptizabantur et sic fixit radices fides Catholica; Idem Vladimirus exemplari pietate motus fundavit omnes Episcopatus quotquot hactenus per totam Russiam reperiuntur; Primo fundavit Vlodimirien. eo quod natus sit in illa Civitate (quæ modo mirabili providentia Dei est unita et B. Josaphat natus est Vlodimiriæ); Cathedralis insuper Ecclesia antiquissima Vlodimiriæ in pacifica possone Unitorum, et unio cum S. Romana Ecclesia ultimo conclusam originem duxit ab Epo Vlodimirien. Post mortem Vladimirij duodecim filij diviserunt Imperium Parentis in duodecim Principatus; Tandiu